Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



242

Marcus

sura messi fructus semetipsum obtu
lit deinde falcem quia adest messis
Et dicebat cui assimilabimus regnum dei aut cui parabole comparabimus illud grani sinapis quod cum seminatur fit minus omnibus seminibus que sunt in terra et cum seminatum fuerit ascendit et fit maius omnibus holeribus et facit ramos magnos ita ut possint sub umbra eius aues celi habitare et talibus multis parabolis loquebatur eis uerbum prout poterant audire sine parabola autem non loquebatur eis seorsum autem discipulis suis disserebat omnia Et ait illis in illa die cum sero esset fiat trans eamus contra Et dimittentes turbam assumunt eum sicut erat in naui et alie naues erant cum illo Et facta est procella magna uenti et fluctus mittebat in nauem ita ut impleretur nauis Et erat ipse in puppi super cephal dormiens Et excitant eum et dicunt illi magister non ad te pertinet quod perimus Et exurgens comminatus est uento et dixit mari Tace obmutesce Et cessauit uentus Et facta est tranquillitas magna Et ait illis quid timidi estis Nondum habetis fidem Et timuerunt timore magno et dicebant ad alterutrum Quis putas est iste quia uentus et mare obediunt ei

Et uenerunt trans fretum maris in regionem gerasenorum Et exeunti ei de naui statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo qui domicilium habebat in monumentis Et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare quia sepe compedibus et catenis uinctus distraxisset catenas et compedes comminuisset et nemo poterat eum domare Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat clamans et concidens se lapidibus Videns autem ihesum a longe cucurrit et adorauit eum et clamans uoce magna dixit quid mihi et tibi ihesu fili dei altissimi adiuro te per deum ne me torqueas Dicebat enim illi exi spiritus immunde ab homine isto Et interrogabat eum quid tibi nomen est Et dicit ei legio michi nomen est quia multi sumus Et deprecabatur eum multum ne se expellet extra regionem erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens in agris Et deprecati sunt eum dicentes Mitte nos in porcos ut in eos introeamus Et continuo permisit eis statim ihesus Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos et magno impetu grex precipitatus est in mare erant autem quasi duo milia et suffocati sunt in mari Qui autem pascebant eos fugerunt et nunciauerunt in ciuitatem et in agros Et exierunt uidere quid esset factum et uenerunt ad ihesum et uident illum qui a demonio uexabatur sedentem uestitum et sana mente et timuerunt Et narrauerunt illis qui uiderant qualiter factum esset ei qui demonium habuerat et de porcis Et cooperunt rogare eum ut discederet de finibus eorum Cum ascenderet nauim cepit illum deprecari qui a demonio uexatus fuerat ut esset cum illo et non admisit eum